Quelle: https://manuscripta.at/?ID=35059
Copyright: Brixen/Bressanone, Priesterseminar/Seminario Maggiore

Et ideo cum queritur utrum virtus possit augeri vel minui, non est aliud querere quam utrum possit intendi et remitti. Et licet de isto aliqualiter tactum sit in questione precedenti tamen non complete. Et ideo de ista materia magis complete dicetur in presenti questione. 2o notandum quod virtus potest accipi vel considerari dupliciter. Uno modo communissime et perfectissime pro habitu morali perfectissimo et attenditur secundum excellentiam terminum ut dicit philosophus primo celi et fuit allegatum ante oppositum. Alio modo virtus in moralibus accipitur pro quolibet habitu morali laudabili quo quis studiose fit et delectabiliter operatur. Et isto modo est qui habet habitum virtutis licet in virtute ulterius possit proficere dicitur virtuosus. Et est simile de sanitate que recte se habet ad corpus sicut virtus ad animam. Nam uno modo sanitas accipitur pro sanitate perfectissima que consistit in temperamento iustitie secundum quam sanitate corpus tam secundum se quam secundum omnes partes suas est in dispositione optima ad exercendum prompte et delectabiliter sua opera. Alio modo tamen sanitas magis large pro qualibet complexione corporali secundum quam membra possunt in opera sua prompte et delectabiliter, licet huiusmodi dispositio vel complexio non sit optima sed quamvis lapsa. Unde complexio corporalis in qua corpus est sanitas consistit in quadam latitudine et non in indivisibili, propter quod non quelibet dispositio complexionis recedens ab optima dispositione sive a temperamento iustitie dicitur egritudo nisi esset multum remota. Sed etiam dicitur sanitas cum huiusmodi complexio non est nimis lapsa ab isto temperamento sive ab ista sanitate perfectissima.

3o Notandum quod virtus perfectissima dupliciter potest considerari. Uno modo quantum ad eius essentiam. Alio modo quantum ad rationem intensissimi. Istis premissis sit prima conclusio ista: Loquendo de virtute primo dicta scilicet de virtute perfectissima et considerando eam quo ad eius essentiam tunc virtus moralis potest augeri et minui. Probatur sic. Cuiuslibet forme gradualis divisibilis habens gradualem latitudinem considerata quo ad eius substantiam potest augeri et minui. Sed sic est de virtute perfectissima scilicet quod ipsa est forma gradualis divisibilis habens gradualem latitudinem. Considerata quo ad eius substantiam potest augeri et minui. Tunc quia et antecedens nota est, quia nisi posset intendi et remitti huiusmodi forma quo ad eius essentiam non esset gradualis divisibilis. Nec habet latitudinem gradualem et hoc ratione potest ex precedenti questione. Secunda conclusio: Virtus moralis primo dicta considerata sub ratione intensissimi nec potest intendi nec remitti stante firma perfectione et pleno rationis iudicio. Probatur quia si remitteretur non haberet rationem intensissimi quia ea posset esse intensior. Similiter si intenderetur non haberet rationem intensissimi ex eodem motivo. 2o sic quod habet terminus excellentie in quantum talis consistit in indivisibili. Sic videlicet quod secundum rationem termini excellentie non potest augeri nec minui. Sed virtus primo accepta et sub ratione intensissimi considerata est terminus excellentie. Igitur etc. antecedens probatur quia ultra terminum rei nichil est sumere de ipsa re et infra eum tota res continetur. Et propter hoc talis diffinitio vocatur terminus primo Topicorum, quia ipsa manente termino et diffinitione nec addere nec deponere contingit. Et advertendum quod istud non solum verum est de virtute sed etiam de qualibet forma graduali. Unde caliditas quo ad esse calidissimi et secundum excellentie terminum considerata nec potest augeri nec minui. Non tamen intendendum est quod sit forma indivisibilis in composita ex multis gradibus sed sic quod nec addere convenit nec aufferre ipsa re manente secundum esse calidissimi.

3o arguunt alii sic. Nam quod virtus perfectissima intendi non possit manifestum est quia alias non esset perfectissima. Sed quod non possit remitti arguunt sic. Nam ratio sic deputatur ad optima si ipsa perfecta sit propria virtute et nulla passione sensuali obliquari possit. Unde in primo huius dicitur quod in virtuoso anima consonat rationi et gradu stante perfectissima virtute et tali firmo rationis iudicio voluntas nequaquam potest in contrarium.

Libri